

16.
1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.



1657.

1. Bosius, Jo. Andreas: De pontificatu maximo Imperatorum Romanorum.
2. Richter, Christophorus Philippus: De dotatitio.
3. Schroeterus, Ernestus Fridericus: De juris emphyteutici, soli et superficiei alienatione.
4. Schroeterus, Ernestus Fridericus: De hereditibus.
5. Schubartus, Andreas Christophorus: De republica epusque divisionibus.
6. Schubartus, Andreas Christophorus: De societate pariter et dominica.
7. Schubartus, Andreas Christophorus: De societate conjugalibus.
8. Stauchius, Johannes: De Publiciana in rem actione.
9. Stauchius, Johannes: De defensione necessaria.

1656.

10. Stenius, Georgius Adamus: De feudorum origine,
jurisque feudalis compositione et authoritate


11. Sture, Gero Adamus: De probationibus.

12^a, 6^c. Sture, Gero Adamus: De jure sylvarum 3 Bunde
= 1656, 1735 & 1744.

13. Wexius, Johannes Christophorus: De jure occupatio-
num.

14.





46. 1787
15
DOCUMENTUM ACADEMICUM
De
JURE OCCUPA-
TIONUM, 1656, 13

Sub quo imprimis Nobilis illa, controversa, & dif-
ficilis Materia de Jure VENANDI latius discutitur,

QUOD

SS. ET PROPITIÆ TRIADIS ADMINICULANTE GRATIA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

Illustrissimo & Celsissimo Principe ac Domino,

DN. BERNHARDO SENIORE,

Duce Saxonæ, Julix, Clivix, ac Montium, Landgravio

Thuringiæ, Marchione Misniæ, Comite de Marca & Ra-

venspurg, Dynasta in Ravenstein:

SCITU ET AUTORITATE

Magnifici & Nobilissimi in Florentissima Salana Jcto-

rum Ordinis suffragante:

PRÆSIDE

Amplissimo, Consultissimo atq; Excellentissimo

DN. JOHANNE CHRISTOPHO-

RO WEXIO, J. V. D. & Prof. Publ. Extraordinario,

Patrono, Fautore ac Præceptore suo æterno animi

cultu devenerando,

Publicæ LL. Cultorum disquisitioni exponit

MARTINUS CASPARUS MULLER, CULMBA-

CHO FRANCUS, AUTOR ET RESPONDENS,

In Auditorio Jctorum ad d. Novembris

H. L. Q. C.

JENÆ, Typis JOHANNIS NISII, clæ 13 c LVI.



ILLUSTRISSIMIS AC CELSISSIMIS
PRINCIPIBUS ATQVE DOMINIS,
DOMINO
GEORGIO-ALBERTO,
ET DOMINO
CHRISTIANO-ERNESTO,
MARCHIONIBUS BRANDENBURGENSI-
BUS. DUCIBUS MAGDEBURGENSIBUS, PRUS-
SIÆ, STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VAN-
DALORUM, ET IN SILESIA CROSSENSIVM AC JAGERNDORF-
FENSIVM, &c. BURGGRAVIIS NORIMBERGENSIBUS
PRINCIPIBUS HALBERSTADII ET
MUNDÆ
DOMINIS SUIS CLEMENTISSIMIS

Documentum hoc Legale ex devotif-
simæ subjectionis atqne obedientiæ
cultu piè consecrat

EORUMQUE CELSIT:

se & sua studia humillimè

commendat

MARTINUS CASPARUS MÜLLER
Culmb. Autor.



PRÆFATIO.

TAcitè consilium elegans dari videtur in *l. 25. pr. ff. de liberat. legat. l. 1. de suspect. int. & l. 5. ff. de LL. iis, quibus animus est disputationem aliquam publicè proponere, ut præ aliis seligant ea, quæ quotidiana sint, & in communi hominum vita frequentem habeant utilitatem; ea verò quæ nihil conducant, omnino contemnant, neque eorum ullam rationem habeant. Nov. Leon. 46.* Hoc bene mecum dudum reputans non abs re fore duxi, si de **JURE OCCUPATIONUM** aliquid pro modulo ingenii, privatâ industriâ ex scaturienti Jurisprudentiâ penu colligerem idque publica disputatione in publicum depromerem. Digna quidem esset hæc materia, quæ pluribus hic demonstraretur, & multis elogiis exornaretur; tum quòd ipsa longè diffusa satis & spaciosam & speciosam sese ostendit, tū quod ejus frequentia, utilitas & necessitas ex omnibus Juris partibus liquidò patet, magisque sese commendat & autoritate Lumidum Clarissimorum, & pulchritudine suâ præstantissima. Sed quia præfationes libentius nos ad lectionem præpositæ materiæ perducunt, & cum eò venerimus, evidentior præstant intellectum *l. 1. in f. ff. de Or. Jur.* Brevem hanc præmittere volui, nunc autem in ea subsisto rem ipsam absque ambagibus aggressurus & quantum pro angusta ingenii suppellectile fieri poterit eam expositurus. Quod ut prosperè & feliciter fiat, **DEUM T. O. M.** in cujus nomine ad omnia consilia omnesque actus est semper progrediendum *l. 2. C. de off. præf. præf. Afr.* Succidaneò cordis poplite supplex veneror, ut adsit mihi per legitimos hosce tramites currenti ipse præsens, Ductor & Auctor, quò labor hic in sui nominis gloriam proximique & meum vergat emolumentum,

A 2

Po-



POSITIO I.



Uamvis Jure Naturali omnia fuerint communia, *arg. l. 5. ff. de f. & f. & omnia indivisa omnibus, veluti unum cunctis patrimonium Justin. lib. 43.* Suadente tamen rectâ ratione & experienciâ Jus Gentium dominiorum distinctionem introduxit, quam & bene deinde Jus Civile confirmavit. *§. 11. f. de R. D. Mysf. ad rubr. eod.* Ut scilicet unusquisque suum teneret proprium. Neque hoc Juri Divino Veteris & Novi Testamenti contradicit. *Daneus 2. Eth. Christ. c. 15.* Aucto enim ut hominum ita pecudum numerus vitæ genus in communiione persistere haud potuit. Nam si perstitisset ista communiio, nulla pax nullaque tranquillitas in societate mansisset; sed omnis discordia excitata esset. *arg. l. 77. §. 20. ff. de legat. & fideicommiss. 2. Grot. de f. B. & P. lib. 2. c. 2.* iniquum etiam fuisset, quod accidisset, ut ignavi & defides alieno alerentur sudore. Unde etiam *Aristoteles l. 2. Polit. c. 2. & seqq.* à Præceptotis sui opinione planè discrepat & complura incommoda Platonice illius communiionis recenset, quæ maximè exinde nascuntur. 1. quod liberi negligentius haberentur & instituerentur. 2. quod ea confusionem generum & graduum cognationis inter Cives pareret, quos tamen distinctos ipsa Natura voluit. 3. quod in hac communiione omnes injuriæ, cædesque facile perpetrarentur & sine expiatione impiè inducerentur; 4. nec in illa caveri possent incestus aliave flagitia gravissima. 5. quod interitus esset amoris & mutue inter Cives amicitie, de quib. & aliis *vid. Heid. in syst. pol. c. 1. p. m. 100.*

II. Secutâ hæc rerum earumque proprietatum distinctione, multa simul & media, seu, ut in jure dicuntur, modi sunt

funt prodi, quibus eadem acquirantur. Utitur enim Jus hac in parte sicuti Architectus quidam instrumentis suis & modis definitis, extra quos peculium aliquod sibi fingere nemini licet. Sunt autem tales partim ex *Jure Gentium* partim ex *Jure Civili*. §. 11. §. de R. D. l. 1. ff. de A. R. D. Posterioris Juris modi sunt vel *Universales*: ut hereditas, bonorum possessio, arrogatio, & addictio bonorum libertatis causa: vel *particulares seu singulares* ut Usucapio, donatio, legatum, &. de quibus passim tam in *Instit.* quam ff. & C. videri potest.

III. Juris Gentium modos constituerunt Doctores alii plures, alii pauciores. Nos breviter cum Celeberrimo Dn. D. Ludw. in *disq. ad Inst. 4. thes. 5. lit. B.* eos redigimus ad quatuor summa genera: Occupationem sc. Accessionem, Specificationem & Traditionem. Sed ne in longitudinem excrescat discursus hic, animus nobis est unice inquirere in primum modum, qui potissimum est earum rerum, quæ nullius sunt propriae; sed Jure Naturali Secundario seu Gentium antiquo in medio relictæ sunt communes omnium hominum. §. 12. §. de R. D. & l. 1. ff. de A. R. D. Schneidevv. ad §. *feræ eod.*

IV. Dicitur autem Occupare derivatione Grammaticâ quasi *ob-capere*, ab ob. id est contra & capio, ut sit idem, quod contra velex adverso quid capere, quo in sensu utitur hoc vocabulo *Curt. 8. inpr. cum aprum inquiring telo occupasset, quem Rex ferire destinaverat.* Aliàs & simpliciter significat sumere, apprehendere, ut *fessos sopor occupat artus Virg.* Alia ambiguitas vocabuli in eo est, quod generali & minus proprio nomine sumitur pro exercere, ut occupare pecuniam, pro elocare fœnori. *Cic. pro Flacco.* Præterea ponitur pro præ occupare & prævenire dicendo ea, quæ possent in futurum objici: Nec non lege prævenire, ut qui prior litem contestatur, occupare dicitur. *l. 32. de Procur.* De quibus & pluribus voculæ hujus significationibus consule Lexicographos, qui quantum scrupulo eximendo satis fuerit docebunt. Nos absque ambagibus propriam ejus signifi-



onem tangemus, quæ est ante alios id capere quod in communi
sivè in medio positum est adhuc.

V. Unde definitio communiter à Dd. ita formatur
quod sit *justa & animò Domini facta apprehensio rei, quæ actu
nullius est, alicujus tamen fieri potest.* vid. *Nobilis. Amplif. Con-
sultis. Dn. D. Georg: Adam Struvius, ¶ Ctus, Consiliarius Saxon.
gravissimus, Pandectarum Prof. Publ. Celeberrimus Collegii Ju-
rid. & Scabinatus Adseffor eminentissimus, Præceptor atque Pa-
tronus meus omni honoris & Reverentiæ cultu etatem colendus in
d' Etata Sciagraphia part. special. cap. 4. aphor. 7.*

VI. Per rem vacuum autem seu quæ actu nullius est,
intelligenda sunt omnia, quæ mari, quæ cœlò & terrâ na-
scuntur nec ad alium pertinent §. 12. §. de R. D. l. 1. ff. de A. R.
D. Sivè sint mobilia. §. 1. in fin. §. de vi bon. rapt; sivè immobi-
lia. §. 22. §. de R. D. l. 2. cum seqq. ff. d. t. Hinc omnes pisces,
volucres & bestix, imò & omnia loca inculta, etiam insulæ
quædam, & alia multa, propria nobis fieri possunt, ut apud
Grot. lib. 2. c. 2. de §. B. & P. & alios Romanorum historicos
legimus agros occupatos. Notandum tamen hîc, res nul-
lius dici vel *simpliciter tales.* i. e. quæ regularitèr neque actu
neque potentiâ alicujus sunt, quales recitantur in §. 7. §. de
R. D. Vel *secundum quid:* quæ scilicet cum actu non existant
in alicujus patrimonio, existunt tamen potentiâ. i. e. ita
comparatæ sunt, ut occupantis fieri possint. §. 12. §. d. l.
Bach. ad §. 7. §. eod. Hæ iterum quatuor potissimum modis
tales sunt. I. *Naturâ* ut feræ bestix, volucres & pisces. d. §.
feræ. II. *Temporis diuturnitate* ut *Thesaurus* §. 39. l. 63. de A.
R. D. III. *Facto hominis* ut res pro derelicto habitæ. §. penult. §.
cum l. 58. ff. d. t. l. 1. l. 2. §. 1. ff. pro derel. IV. *Eventu quodâ ac casu,* ut
res hereditariæ ante aditam hereditatem. l. 1. in pr. ff. de R. D. l. 3.
pr. ff. de pecul. Quæ quidem ultima notatio latius aliquantò
sumitur, nec hujus loci est, propterea videtur hanc tan-
quam instituto huic inconvenientem omisisse *Sutholt. disp.*
4. thes. 22.

VII. Et occupantur hæ res vacuæ vel sine violentia vel
cum violentia. *Occupatio minus violenta Casualis* dicitur, &
con-

1493.

continet inventionem rerum, quæ vel nullius fuerunt, quales sunt lapilli pretiosi, gemmæ, cæteraque alia, quæ in litore maris & aliis locis communibus reperiuntur; Vel quæ alicujus, fuerunt, sed esse desierunt, ut res pro derelicto habitæ & thesaurus. Requiritur tamen ad gemmarum acquisitionem naturalis, quæ corpore fit, apprehensio, nec sola sufficit ac nuda inspectio. *arg. l. 1. l. 3. §. 11. de acquir. vel amitt. poss.* Invenire enim est in rem venire ejusque possessionem nancisci, unde si quis dixerit: si inveneris furem vel latronem hunc, dabo decem florenos, non aliter illi debentur, nisi capiat alter prius Latronem. *per l. 13. C. de fidejus. & mand. Nec obstat. l. 1. §. 21. de acquir. vel amitt. poss.* Ubi dicitur, etiam oculis & aspectu possessionem alicujus rei nos acquirere; Diversitas quippe casuum est. Nam ibi agitur de tali, quò præcesit titulus & voluntas domini, qui possessionem habet, quantum dimittit, ut alius eam habeat; hîc autem quæritur de occupatione sine titulo, & rei, quæ in nullius est possessione teste *Bach. ad §. nostrum.* Hodie Principes modum hunc ad se solos transtulerunt. Prædictus *Magnif. Dn. D. Ludwell* Præceptor ante-hac ac Patronus æternum venerandus. in *disp. ad Inst. 4. th. 5. tit. E.* Et probat hoc exemplum Borussiae, ubi non omnibus licet in litore succinum legere, sed id soli Electori Brandenb. competit.

VIII. Res pro derelicto habitæ sunt omnes mobiles & immobiles, si modò dominus eam mente illas abiecerit aut dimiserit, ut amplius in numero rerum suarum esse noluerit. *§. 47. §. de R. D.* Non mirum igitur, quod amissò dominò occupanti concedantur per regulam *§. penult. §. d. r. & l. 1. ff. pro derelicto.* His autem non annumeramus I. Ea, quæ in tempestate levandæ navis causa vel aliûs necessitatis gratiâ ejiciuntur. *§. fin. l. 9. §. 8. ff. de A. R. D.* Non enim eò animò abjiciuntur, quòd eas dominus non amplius nolit, sed ut mortis periculum effugiat. Ideò ejus permanent, nec sunt pro derelicto habitæ, & si quis eas lucrandi animò abstulerit, furtum committit *d. l. 9. cum §. penult. 9. ut supra.* Ob quam etiam causam consuetudines istæ & statuta, quæ in mari-

maritimis quibusdam locis observabantur, ut factò naufragiò bona, quæ erant in navi, redirent ad Dominum fluminis, tanquam irrationabilia & corruptelæ quædam per Constitutionem Friderici *in anth. navigia. C. de furt. & Caroli V. P. S. D. art. 218.* meritò sublata & annullata fuerunt. Quæ si verit hîc obiter aliquis, *ad quem spectet damnum illud, si res levande navis causa ejecta perierint?* Probatur quod commune erit omnium eorum, qui in navi fuerunt, & inde omnium contributione resarciatur illud detrimentum. *l. 1. l. 2. §. equissimum ff. de l. Rhod. de jactu.* Quod quibusdam visum est locum habere eò quoque casu, si tempore incendii domus aliqua destruitur, ne ignis totam viciniam consumat: tunc pari ratione damnum illud omnibus vicinis commune esse debere. de quo *Bart. in d. §. equissimum.*

IX.II. Pro derelicto habita non sunt putanda, quæ fortuitò amittuntur, veluti quæ insciis & ignorantibus dominis de rheda currentelabuntur. *§. ult. §. d. t. cujus ratione hanc fovet Bach. ad Tr. 2. disp. 20. lit. H.* quod res talis non sit nullius, sed alterius, nim. Domini illius, qui eam amisit. Unde & si quis eam lucrandi animo retinuerit, furtum committit. *l. 43. §. 4. ff. de furt. c. si quid invenisti. 14. q. 5. nec interest an sciat, vel ignoret cujus sit. d. l. 43. §. 4. de furt.* Ad hoc igitur ut inventor pœnam furti evitet, debet vel per libellum publicè proponere; vel facere, ut ex suggestu publico, aut à præcone proclametur, se talem rem invenisse & jam redditurum ei, qui suam esse certis signis demonstrare possit: *Das man öffentlich melden lasse es sey diß oder das gefunden worden.* Nascitur hîc quæstio *an res inventa per præscriptionem retineri possit?* Quod Aff. maximè si invenerit pauper. *arg. c. 14. auth. omnes peregrini.* Si verò dives, rectius agitur, si pauperibus distribuatur *Dd. in §. 4. ff. de furt.* De Jure Sax. singularis observatur Præscriptionis species, si videlicet res intra sex septimanas non repetatur. *Land Recht. lib. 2. art. 37.* Kommt aber niemand in sechs Wochen/der sich darzu zöge/so nimbt der Richter zwey Theil/ und jener behält den dritten Theil. Insuper subjici potest quæstio alia: *an Dominus aeneatur inventori dare præmium?*

mi um? Et dist. Aut res jam est inventa; & non debetur præ-
mium, sed gratis restitutio fiat: aut nondum est inventa, &
tunc pro adhibita opera conquirendæ rei licitum est exi-
gere præmium *Schneidevv. ad §. ult. n. 7.*

X. Rebus quæ alicujus esse desierunt, additur &
Thesaurus, quem *Paulus in l. 31. ff. de A. R. D.* describit, quod
sit vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memo-
ria, ut ea jam dominum non habeat. Itaque si quis pecu-
niam inveniat sub terra, cujus forma adhuc cognosci pot-
est, & quæ recentibus temporibus excusa, pro thesauro non
est reputanda, quia memoriam hominis non excedit, *arg. l.*
67. ff. de R. V. Carpz. 2. Const. 53. defin. 10. n. 5. Et qui talem pe-
cuniam invenit nec reddit, furtum facit *l. 31. ff. de A. R. D.*
Præsumtio enim est, talem pecuniam vel metûs vel custodiæ
gratia absconditam fuisse, inde pro thesauro non censetur,
sed manet deponentium *§. 1. in fin. l. 44. ff. de A. R. D. cum l.*
47. ff. de R. V. Sunt autem in inventione thesauri plures no-
tandæ Regulæ, quæ distinctionibus expediendæ; primùm
quidem hæc: An quis invenerit thesaurum in suo fundo &
tunc totus fit inventoris istius. *§. 40. §. de R. D.* Nec interest
utrum fortuitò an consultò & data opera invenerit. U-
traque enim in proprio permessa est inventio. *l. unic. C. de*
thes. Aut invenerit eum in fundo alieno, in quo nullum pla-
nè habet dominium, & hîc aliæ servantur notæ. Vel enim e-
um invenit fortuitò, arando sc. vel aliò modò terram mo-
vendò, & tunc dimidia pars inventoris efficitur, altera ipsius
loci domini. *§. 40. §. de R. D. l. unic. C. de thes. l. 3. §. 10. de jur.*
fisci. Vel datâ operâ, & sic totus ad dominum loci spectat,
& inventorî nihil de eo debetur. *l. unic. C. de thes.* ubi & ejus
additur ratio cur sic procedendum. Quæ Conclusio simul
& extendi potest ad locum Cæsaris, Civitatis, & publicum,
item Religiosum publici Juris. *l. 3. §. penult. ff. de jure fisci. §.*
40 in fin. §. de R. D. Usufructuarium, Cppignoratium, condu-
ctum, dotalem, & similes. l. 63. §. fin. ff. de A. R. D. & l. 7. §.
12. ff. solut. matr. Schneidevv. ad §. thesauros n. 8. & Magnif. No-
biliss. Ampliss. Excell. Dn. Erasmus Ungepauer. ¶ Ctus Consil.

B

Sax.



Sax. gravissimus, Antecessor hic dudum meritissimus. Facul. Assessor primarius, Patronus non vulgari honore colendus. Exerc. 5. quest. 13.

XI. Non malè cum his quæritur, ad quem thesaurus in fundo Emphyteutico aut feudali inventus pertineat? Concedit cum aliis multis Schneidevv. predicto loco totum Vasallo & Emphyteuta, ita ut directo Domino feudi vel Emphyteutis nihil teneatur restituere, idque vi utilis dominii, cui & damnum & commodum fortunæ patet. An verò ejus conclusio sufficiat, dubitatur. Nos magis contrarium putamus, & quidem si thesaurum ipse Emphyteuta vel Vasallus invenerit, quod inter hunc & Dominum dividi debeat, si autem à Tertio quodam inventus fuerit, inter inventorem & Dominum soli dividendus sit *Dn. Ludov. disp. 4. tk. 5. in lit. F.*

XII. Præsupponitur autem semper inventio legitima, quæ naturalibus sc. & legitimis instrumentis, non incantationibus vel aliis artibus maleficis perficitur, nam ita thesaurus quocunq̄ue etiam inventus solo fisco applicatur. *d. l. unic. C. de thes.* Imò qui mediis ejusmodi utitur, capite puniendus est. *l. 5. in fin. C. de malefic. & matth.* apparet & hoc ex lege divina, ut *Exod. 22. v. 18.* Quæ quidem capitis pœna locum non habet in iis personis quæ superstitiosa remedia, ut specula & cribra usurpant. vulgò *Welche in die Christall und Gesichtspiegel sehen/oder über das verlohrene Ding das Sieb laufen lassen.* Sed extraordinariâ pœnâ aliquâ illæ plectendæ sunt. *Hargio. p. 2. quest. 39. n. 74.* Multò minus ii, qui adhibent virgulas divinatorias ullâ pœnâ afficiendi, cum ibi nulla ars Diabolica, sed naturalis quædam occulta qualitas sit, unde metallariis omninò licitæ censentur.

XIII. Hodiè in plerisque locis Principes omnes quoquomodò inventos thesauros vel integros vel partem eorum sibi attribuunt *Grot. d. lib. 2. c. 8.* quam consuetudinem, si non violenter inducta fuerit, justam æstimat *Covar. ad c. peccatum p. 3. §. penult. n. 14.*

XIV. *Occupatio violenta*, & quæ ex proposito contingit, versatur vel circa homines, eorumque res: vel circa fera animalia.

1761

nimalia. Circa homines est Captivitas seu occupatio belli-
ca. §. item ea §. de R. D. & Myns. ad eundem §. n. 1. Qui modus
communi ferè Gentium consensu receptus est, ut quæ ex ho-
stibus in bellò capimus, fiant nostra. d. §. item ea l. 5. §. 7. l. 7.
inpr. ff. de acquir. rer. dom. l. 1. §. 1. de acquir. vel amitt. poss.
Gloss. Jur. Sax. Weichbild art. 2. Was ich meinem rechtmässigen
Feinde nehme oder in einen rechten Kriege gewinne/das ist mein.
Et procedit hoc, si bellum fuerit justum, quod à personis le-
gitimis, legitimis de causis, intentione & modò legitimò su-
scipitur. Ves. π. ff. de A. R. D. allegans l. postliminium inpr. &
l. 1. ff. de capt. & postlim. Et deinde si homines singulares ca-
piuntur, non verò si Universitas; Civitates enim captæ ab
hostibus non efficiuntur servæ, sed tantù subditæ quoad Ju-
risdictionem, de quo Bartol. in l. 31. ff. de jure fisci. ideò retinent
sæpe Cives omnia sua bona, & habent testamenti factionem
cù reliquis juribus & privilegiis. Capti etiã à latronibus ser-
vi non sunt, sed liberi permanent nec eorum bona capientium
dicuntur. l. 19. l. 24. ff. de captiv. & postlim. revers. Et
Christiani in bello inter Christianos gesto non amplius fi-
unt servi. Turcæ verò à nobis capti utique ut olim efficiun-
tur Schneidevv. ad §. item ea & Myns. eod. n. 4.

XV. Sicuti ergò homines capti, ita & eorum res ce-
dunt occupantibus. Quod tamen legibus dictantibus ad
res saltem mobiles, & quæ in hostium fuerunt dominio, re-
stringi debet. d. §. 17. junct. l. 5. §. fin. ff. de A. R. D. Immo-
bilia verò publicantur & fisco applicantur. l. 20. §. 1. ff. de ca-
ptiv. & postlim. revers. & Magnif. Ungep. Exerc. 5. quest. 5. U-
trum pretium prædii privati ad coercendos hostiles incursum di-
viti ex publico solvendum sit, non inconcinne hæc quæri so-
let? Quod affirmare placet arg. l. 13. §. 1. ff. com. prædior. lib.
2. C. pro quib. caus. servi præmio libert. Gail. 2. obs. 56. n. 8.

XVI. Altera species Occupationis violentæ, quæ circa
fera animalia versatur, est VENATIO & quia hæc nostris
temporibus frequentissima & usitatissima, non abs re factu-
ri videmur, si specialiter atque uberius de ea egerimus.

XVII. Sciendum igitur vocabulum illud Venatio esse

ambiguum, & multas planè separatas ac discretas continere
 significationes. Sumitur enim *I.* Impropiè pro Adulatoria,
 cum homines bonis blandisque verbis inescantur & ca-
 ptantur, unde venari puellas. *Novell. 14. pr.* quò referuntur
 histriones, caprimulgi, parasiti. *II.* Magis propriè, pro Op-
 pressiva, quâ homines à sceleratis opprimuntur & trucidan-
 tur, cujus exemplum extat *Gen. 10. v. 9.* ubi Nimbrod robu-
 stus Venator coram Domino vocatur; talis semper prohi-
 bita judicatur. *III.* Sumitur pro Arenaria, si quis cum bestia
 depugnaturus in arenam descendit, quæ simili modò ob
 tantæ crudelitatis spectaculum meritò repudiata fuit, ideò
 & ejus spectatores mortaliter peccare asserit *Gail. obs. 68. n.*
8. per c. qui venatorib. dist. 86. De Jure Civili tunc est illa lici-
 ta, quando non est mercenaria, sed fit virtutis probandæ &
 virium experiendarum causa, aliàs si quis ad hoc locet ope-
 ras suas, infamiâ notatur. *arg. l. 3. l. 4. ff. de his qui infam. no-*
tantur IIII. Propriè pro illa, quæ fit bestiarum in naturali li-
 bertate oberrantium capiendarum causâ. Et jam iterum
 vel generalius, non tantum ad feras, sed etiam pisces atque
 aves pertinet; vel specialius ad feras solas: quæ est *V.* Signi-
 ficatio. *VI.* Accipitur pro jure venandi, non ipso actu. Sed
 cum tres priores Venationum formæ propter crudelitatem
 aliamq; vitiosam naturam tanquam illicitæ planè sint pro-
 hibitæ, operæ pretium non est multum in iis elaborare, sed
 satius erit loco earum de ultima & præcipuè dicta, quæ fe-
 rarum est, disquirere.

XVIII. Ubi in fronte sese offert illud, *an venatio, pesca-*
rio & aucupium pro uno eodemq; jure ponantur? Quod affirmat
VVes. d. t. de A. R. D. n. 7. unde (etsi contra citati Autoris
 sententiam) quemadmodum venari in alieno fundo, ita et-
 iam piscari in alieno stagno licet, & hoc ob identitatem ra-
 tionis. *I.* Quia pisces sicut & feræ in libertate sua naturali re-
 licti in nullius sunt Dominio, Ergo juxta regulam genera-
 lem occupanti cedunt, *§. 12. §. l. 3. ff. de A. R. D.* *II.* Probari
 hoc magis potest ex *l. 3. §. 14. de Acq. vel am. poss.* quia non
 sunt in potestate ejus cujus est stagnum. *III.* Domino con-
 su-

fulitur in piscatione adione injuriarum, l. 13. §. ult. ff. de injur. quæ ipsi datur ob ingressum contra prohibitionem factum. Unde apparet eum tantum jus prohibendi ab ingressu habere, non etiam ab ipsa piscium captura & occupatione, nec est ut in contrarium quoque allegetur idem ille textus l. 13. §. f. ff. de injur. ibi enim tantum dicitur, quod prohiberi quis possit ne accedat ad lacum alterius piscandi causa, & si nihilominus accedat, teneatur quidem injuriarum, sed pisces capti maneant capientis: Dn. Ludw. disp. 4. th. 5. lit. C. Et hoc olim secundum Jus Gentium & Civile nostrum Romanum obtinebat. Moribus verò hodiernis pisces, qui in stagno privato custodia & propagationis causa asservantur, æquè ac illi, qui in piscina absque delicto furti capi non possunt, sunt enim ejus ad quem spectat stagnum. Const. Carol. Crim. art. 169. Welcher auß Wenhern oder Behaltnussen Fisch stielet/ist auch einen Diebstahl gleich zu straffen.

XIX. Definiri autem potest venatio in specie dicta, quòd sit *jus & facultas occupandi feras in nullius dominio existentes arg. §. 12. cum seqq. & l. 3. ff. de A.R.D.*

XX. Ex qua definitione, vel si majori descriptione, apparet, venationem non posse referri ad servitutes reales, eò quod non ad ipsiusmet prædii, sed hominis utilitatem pertinet, cum tamen realis servitus in usum saltem & commodum prædii constituatur l. 15. de serv. l. 5. in f. l. 24. & l. 29. de servit. præd. rust. Clariss. Ludwell. Disp. 5. th. 5. lit. f. Neque adscribi posse servitutibus personalibus, quia contra harum naturam ad hæredes transit in perpetuum §. 3. §. de usufr. l. 3. §. ult. ff. quib. mod. usufr. vel us. amitt. Harrp. ad §. 12. §. de R. D. nec ad alia pacta personalia, quoniam illa ad tertium non extenduntur l. 25. §. 1. l. 27. §. 4. de pact. Sed si rem ex statu juris veteris æstimare velimus, videtur pertinere ad ipsa jura naturalis libertatis: Sin verò ex statu juris moderni, non ineptè videtur jus venandi ad Regalia referri posse, sc. minora illa, quæ traduntur 2. Feud. 56. nec vehementer obstare videtur, quòd venationis nulla expressa ibi fit mentio. Eadem enim ratio ejus est, quæ & piscationis, vid. thes.



18. & salinarum. Facitque quod hodie hoc Jus solis Principibus competat, ad instar reliquorum, quæ Regalia audiunt. Unde & nomen nacta videntur universa. Sunt tamen qui venationem propriam quoddam Jus per se subsistens tradunt. *Niel. Diss. feud. 13. thes. 2. supr. dict. Clariss. Ludov. d. l.*

XXI. Pro turpi & illicito exercitio habent quidam venationem, eapropter, quod Augustinus eam nequissimam appellet artem *c. qui venatoris. 8. cum seq. dist. 86.* Sed videtur verius hoc dictum fuisse de abusu quàm ipso usu; vel de Clericis, quibus interdictus est ejusmodi usus, de quo *infr. thes. 41.* Et porro intelligi potest, D. Augustinum non de hac specie, sed de Arenaria loqui, quæ sc. histrionicò more à conductis hominibus in publicis spectaculis peragitur, qualis autem nostra non est, nec ita servit spectaculis publicis, sed sanitati & valetudini, item necessitati victus & amictus. Qui usus divina quoque ordinatione sancitus, ut ferarum carnibus vescamur earumque pellibus contegamus nos. *Gen. 1. 3. & 9. Et D. Paulus 1. Tim. 4. v. 3.*

XXII. Causa Efficiens Venationis alia est ratione constitutionis, alia ratione exercitationis, alia ratione conservationis: Illa prima iterum consideratur vel in thesi, quatenus sc. jus venandi simpliciter constituitur non respectu hujus vel illius; Vel in hypothese, quat. huic aut illi constituitur sive acquiritur. Causa efficiens ratione constitutionis in thesi est Jus tam divinum *Gen. 1. v. 26. 28. & 30. & c. 9. v. 2.* quàm Humanum, h. e. Naturale s. Gentium. *s. fera. 7. l. 1. pr. & s. 1. ff. de A. R. D.* Et denique Civile. *l. unic. C. de Venat. fer.* Omni enim illò Jure regulariter permessa est venatio, nec quisque distinctè prohiberi potest, quò minus veneretur & capiat feras bestias. *l. 3. in pr. d. t. cæteroquin actio instituitur injuriarum contra prohibentem, VVes. d. t. n. 7.* Unde re secundum Jus Naturale, Gentium & Civile antiquum simpliciter considerata, Principes subditis facerent injuriam, si à venatione eos prohiberent. *VVes. cum aliis multis Dd. de A. R. D. n. 7. & arg. l. 13. s. 7. ff. de injur.*

XXIII. Secus verò est posteaquam Jus Novum & publi-

1801.

blica consuetudo aliud introduxerunt nostris temporibus, ubi in omnibus ferè Germaniæ partibus illa potestas venandi plebejis & subditis totaliter est adempta, ut ne in fundo proprio ferarum quidquam capere possint: imò nec Nobiles, nisi expressè in literis investituræ sit concessum, vel longa temporis præscriptione sit acquisitum, illud Jus possideant. *Schneid. ad §. feræ. n. 5. in fin.* Sed quæritur *nūm rectè sic interdicta fuerit Venatio subditis*, effectumque, ut hodiè eà utantur soli summi Principes, & deinde Electores, Duces Principes, Marchiones, Comites, Barones, Civitates liberae &c.:? Quod optimè affirmatur per subsequentiã.

XXIV. I. Faciunt hoc illi jure superioritatis & Præemi-
nentiæ. Nam sicut alia quædam Jura, ita & hoc privatorum
promiscuo usui ademptum, cumque ipsis gubernaculis con-
junctum est. Idque non temerè factum aut iniq̄ue. Ut e-
nim hîc tantum unicum tangam, publicæ salutis ratio ea in
re versatur, quæ aliàs quoque antefertur privatorum com-
modis *arg. l. 1. ff. de usucap.* plura in hanc partem vide infra
thes. 33. Minus autem probabilis videtur eorum opinio, qui
putant, vi nudæ occupationis hoc Jus Principibus posteri-
oribus seculis cecidisse. *arg. l. 7. de diver. & temp. præscript.* Et-
enim illa occupatio parit tantum Jus prohibendi ingredi
volentem & adversus ingredientem injuriarum actionem.
arg. l. 13. in f. ff. de injur. Quibus jam olim non obstantibus
etiamnum Jus Commune manebat, & qui ceperat feram, eam
sibi retinebat. Nec etiam ita probabiliter universum il-
lud Jus ad solos Principes devenisset. Procul dubio enim
multi alii certos districtus jam ipsi occupatos tenuissent,
qui cum vacui non essent à Principibus occupari non potu-
issent. *arg. l. 50. ff. de A. R. D. l. 7. ff. de divers. & temp. præscript.*
Tandem & ista sententia deserenda videtur, quæ per præ-
scriptionem Jus Venandi Principum proprium factum con-
tendit, etenim nec habile præscriptionis objectum erat tum
venatio, cum esset res communis ex *J. G. l. 45. ff. de Usucap.*
nec possessio satis justa videtur, ex parte superiorum, cum
procul dubio publicis Edictis & pœnis adversus contradi-
gen-

centes quæsitæ fuerit. Denique & illud obstaculo est, quod
adversus agere non valentem præscriptio non currit *l. 1. §. 2.*
C. de annal. except. Aut saltem restitutio læso datur *per l. 1.*
ff. ex quibus caus. major. §. t. t.

XXV. Nec verò hoc volo, quod, posteaquam Principes
& similes Superiores Jus venandi proprium sibi fecerunt, il-
ludque aliis inferioribus concedunt, nec hoc rerum statu
præscribi possit. Imò verò præscribi videtur Jus venandi
etiam adversus ipsos superiores, si non 40. annis *per l. 4. jun-*
cta. l. 5. §. 6. C. de præsc. 30. vel 40. ann. saltem immemoriali 100.
annorum præscriptione, quippe qua probabiliter omnia et-
iam Principum Jura tolluntur. *per l. 23. pr. v. §. nobis quidem*
cordi erat. C. de SS. Eccles.

XXVI. Causa efficiens venationis ratione constitutio-
nis in hypothesei juxta *th. 22.* quat. videlicet huic vel illi istud
Jus acquiritur, præcipuè est duplex. Posteaquam enim Jus
venandi ita privatis ademptum & ad eos translatum est, pe-
nes quos est potestas summa; inde inferiores Principes ac
Dynastæ, vel ab his alii, aut denique quicumque illi sint, fa-
cultatem venandi obtinent vel ex concessione, vel præscri-
ptione. Concessio ista est vel expressa vel tacita. Expres-
sam sæpè habent ab Imperatore vel aliis dominis unà cum
conditionibus in feudorum investituris. Et Jus tale semel da-
tum leviter & sine amplissima causa adimi non potest. *l. 3. C.*
de resc. vend. Sic à proprietatis domino usufructuarius non
poterat prohiberi, quò minus venaretur in eo fundo, cujus
usufructum habebat. *l. 62. ff. de usufr. l. 9. §. 5. eod. Ves. π. de*
A.R.D. n. 7. Deinde talis ipsum dominum & quemvis ali-
um æquè inhibere poterat, ne fundum ingrederetur venan-
di gratiâ. *arg. l. 16. de S.P.R.* Hoc quoque obtinebat, ne Domi-
nus sylvæ venatoriæ, in qua alteri usufructus constitutus es-
set, arbores grandes unà vice ad suum quæstum excidere
posset. *arg. l. 15. §. 6. de usufr.* Et si tale quid hodie moliatur do-
minus, mandata sine clausula contra eum, ut ab incepto vel
proposito absteineat, decernuntur. *Gail. 1. obs. 13. n. 3.* Excipiuntur
Precariæ venationes, quæ ex natura precarii à concedente
ejus-

ejusque herede liberè, & quodocunq̃ue libuerit revocari
possunt etiam ante tempus elapsum, ad cuius terminum fu-
erint concessæ. *l. 1. l. 2. §. 2. l. 12. pr. de precar.*

XXVII. Tacitam concessionem voco, quæ fit per con-
sequentiam, ut cum in generali Ducatûs, Comitatus, Castri
vel Civitatis concessione cum omnibus pertinentiis & juri-
bus, simul & Jus Venandi conceditur. *arg. l. 47. & seqq. de contr.
empt.* Notû enim est, quod accessorium sequatur naturam sui
principalis. *c. accessorium de R. 7. in 6.* Et locutio generalis om-
nes sub se species comprehendat & includat. *arg. l. 1. §. 1.
de leg. prestand.* De Vasallo verò, cui à Domino Venandi Jus
vel specialiter vel generaliter unâ cum territorio conces-
sum fuit, dicendum est, quod exclusô Dominô directô in
territorio isto feudali Venationes solus instituere queat,
quia Princeps concedens in illo loco Jus Venandi abdicati-
ve illud in Vasallum transtulisse intelligitur. *arg. l. 7. & 9. ff.
de Usufr.*

XXVIII. Concessio ipsius juris Venandi præterea du-
plici potissimum ratione fit; Vel Generaliter; vel Speciali-
ter. Generaliter cum in genere & indefinitè Jus alicui con-
ceditur. Ubi concertari solet: *An concessione generaliter fa-
ctâ, facultas etiam Venandi feras nobiliores vulgò Schwarz oder
hohes roob Wild permissa intelligatur?* Quod affirmari posset
secundum tenorem J. C. quoniam quod de genere dicitur,
dicitur quoque de singulis speciebus. *l. 1. §. 1. de legat. præ-
stand. l. 1. §. 2. ff. que in fraud. credit.* Sed quia negativa ex com-
muni consuetudine prævalet, ab ea recedere non licet. Nam
usus & observantia communis certa est norma atque regu-
la interpretandi & declarandi, quid concedens ambigua di-
spositione comprehendere voluerit *l. 23. & 30. de LL.* Ulte-
us quæritur, *Utrum Princeps, qui tale Jus alicui concessit, etiam
Jus aucupandi & piscandi dedisse censeatur?* Et ex statu juris no-
vi negativa magis arridet, quia à diversis nihil infertur *d. l.
fin. de calum.* Et quæ sunt Notabilia inspecie debent exprimi,
alioqui pro neglectis habentur. *l. 15. §. 26. ff. de injur.*

XXIX. Specialiter conceditur Jus Venandi, cum fa-
cul-

C



cultas infectandi certam speciem ferarum sive majorum si-
ve minorum, vulgò grob oder fleiu Wildpret/vel enim conjun-
ctim tam majorum quàm minorum, alles grob und klein Wild-
pret/alicui tribuitur. Hinc in Germania non est infrequens,
ut duo vel plures in eadem sylva vel loco venandi jus obti-
neant, alter quidem ferarum majorum alter minorum. Imò
non rarò plures dictum Jus quoad eandem ferarum speciem
in eodem loco concessum habent, quò casu neuter alterum
impedire potest absque injuriarum actione, *arg. l. 13. §. 7. ff.
de injur. l. 2. §. 9. nequid in loc. publ. adde Garl. lib. sing. de pign.
c. ult. n. 7.* Ad quam concessionis speciem pertinet quoque si
cui concedatur, venatio certò tamè instrumento, puta bom-
bardâ, retibus minoribus, non etiam canibus, aut contra; de
quibus statuta & leges Venatorum plenius audiri possunt.
Interim se offert hîc controversia vulgaris. *Num concedens
potestatem capiendi feras majores, puta cervos, apros, intelligatur
etiam tribuisse facultatem occupandi feras minores, videlicet
vulpes, lepores?* Nos negativam veritati magis consentane-
am arbitramur per rationes in thesi præced. adductas, ita-
que modus Venationis concessioni adjectus exactè serva-
ri debet.

XXX. Hæc sufficiant de primo modo acquirendæ ve-
nationis, nempe concessione, nunc progrediamur ad alte-
rum, præscriptionem. Quod enim hodie hoc jus præscribi
possit, jam supra probatum dedi *th. 24.* Hîc verò potissimum
videndū est, quomodo ista acquisitio interpretanda sit. Bre-
viter autem, eatenus demum est accipienda, quat ipsa vena-
tio fuit exercita. Igitur qui per legitimum temporis spaci-
um tantū majores feras fuerit venatus, minores capere non
potest: & contra. Et qui certis instrumentis venatus fuit, hîc-
que modò venationis exercitium præscripsit, aliis postea
instrumentis venari nequit, nec qui venationis Jus præscri-
psit aucupandi, etiam & piscandi facultatem simul præscri-
psisse judicatur, quia non plus dicitur possessum quàm quã-
tum & quomodo fuerit usurpatum, siquidem usus in juri-
bus incorporalibus & servitutibus locò possessionis est. *l.*

ult.

int. de servit. l. 10. ff. si servit. vind. Hinc disceptatio exurgit gravis: si quis unam tantum speciem majorum vel minorum ferarum venatus fuerit, & sic venandi jus præscripserit, an indistincte id nactus intelligatur etiam quoad reliquas species, vel majorum vel minorum ferarum, v.g. si cervos hactenus cepisset, an nunc etiam apros, &c. vel si lepores tantum, an etiam vulpes & similes minores feras capere possit? Affirmativa videtur probabilior, quia aliàs quoque in similibus idem obtinet, *c. cum in tua. 30. de decim. & l. 18. ff. de servit. præd. rust.* Interdum quidem locorum consuetudines contrarium tenere solent.

XXXI. Idemque dicimus de eo, qui pluribus annis in aliena sylva venatus etsi non in omnibus & singulis, sed quibusdam tantum illius sylvæ partibus venationem exercuerit, eandem tamen non iis duntaxat, sed omnibus ad sylvam pertinentibus locis venationem instituere posse, dummodo constet animus & affectio acquirendi & persequendi Jus istud. *fac. l. 3. §. ff. de acquir. vel amitt. poss. juncta l. 3. ff. de Usucap. & usurpat.*

XXXII. Cum hactenus ostensum fuerit, jus venandi non ut olim, omnibus commune amplius esse, sed ad solos imperantes eosque proinde, qui ab ipsis causam habeant, devolutum esse, eaque res quandam iniquitatem præ se ferre prima fronte videatur, rationes nunc sunt subjiciendæ, ob quas ista ademptio subditis facta fuerit. Afferuntur autem multæ à Dd. & recitantur ordine à *VVes. π. d. t. n. 7.* sequentes. I. est specierum conservatio, si enim cuilibet esset permissa venatio, omnes procul dubio ferarum species exiguo tempore devastarentur, quas tamen conservari utile est. *Tiraquell. de nobilit. c. 37. n. 150. VVes. d. l.* Deinde publicè interest ad tranquillitatem & pacem tuendam non esse omnibus commune Jus Venationis, nam ut aliàs communio rerum parit discordias *l. 77. §. 20. in fin. de legat. 2. l. 34. §. ne autem. 2. C. de donat.* Ita & hujus usus indifferenter concessus omnibus maxima cædium ac latrociniorum foret occasio. Tertiò hæc ipsa permissio esset avocamentum ab ope-

ris laboribusque necessariis, à quibus neminem abduci publicè expedit. *auth. agricultores C. quæ res pign.* Ultimò quod venatio ferarum præcipuè majorum absque armis ut plurimum expediti nequit; Jam verò armorum usum privatis multis de causis esse interdictum patet *ex l. unic. C. ut arm. usus*, quia sub tali prætextu subditi arma ferentes varias rixas excitare & homicidia committere facillimè possunt. *Fach. cont. lib. 1. c. 1.* His rationibus sunt qui putant Fridericum Imperatorem commotum, ut hæc venationum jura subditis, præsertim agricolis adimenda esse censuerit.

XXXIII. Nec rationibus istiusmodi refragatur quod quidem etiam nunc ademptionis istius æquitati objiciunt, esse eam contra Jus divinum & naturale: At verò principi non licere contra dicta jura inferre quicquam. Antecedens probant *Gen. 1. v. 28. 29. & c. 9. v. 2. cum seqq. §. fera §. de R. D. l. 1. pr. & §. 1. ff. de acquir. rer. dom.* Resp. imprimis ad dicta sacra, quod ibi non voluerit Deus, ut omnibus concedatur Venatio, ita ut quisquis pro lubitu, & quòcunquè locò possit venari, sed saltem ut hominibus notificetur & indicetur potestas illa, quam præ aliis creaturis in omnia animalia etiam fera habeant. Non ergo excluditur omnis differentia personarum hac in parte attendenda, ut patet hoc ex ipsa propositione textus, ubi non invenitur signum Universale OMNIS, ut innueretur quod homines singuli habeant illam potestatem; sed sermo simpliciter est de hominibus, & sic propositio indefinita est, quam particulari æquipollere eò probabilius fit quod est de materia contingenti. Nam Logicorum habet regula: *indefinita æquipollet particulari in materia contingenti, quemadmodum Universali in materia necessaria*: ut homo est animal (omnis homo est animal) homo est doctus (quidam homo est doctus) Contrarium qui sentiunt reponunt Adamum & Noachum cum suis hòc locò representasse totum genus humanum, & inde evincere volunt propositionem Universalem: Vos habebitis. i. e. omnes homines una cum vobis habebunt. Verùm sic sequeretur juxta supra allatam conclusionem, Deum quoque concessisse

fisse

fisse dominium in Univerſum orbem & ſingulis communio-
 nem omnium rerum, quorum tamen neutrum eſt verum,
 quia id eſſet ipſa peſtis generis humani & ejus tranquillita-
 tis, oportet enim concedi in hac mortalium perversitate il-
 lam communionem perſiſtere non poſſe. Nihil ergo iſti ma-
 chinis ſuis efficiunt. Ad alteram rationem Juris Naturalis
 reſponderi ſolet diſtinguendo inter Jus Naturale poſitivum
 & negativum, quod illud non poſſit tolli, hoc verò benè, jam
 autem ferarum captura non ad poſitivum ſed negativum
 pertinet. *Magnif. Ungepaar. Exerc. 5. quaſt. 5.*

XXXIV. Qui igitur Jus Venandi titulis hiſce obtinet,
 transferre illud in alium quoque poſteſt *arg. t. t. ff. de hered.*
& act. vend. Omne enim Jus omniſque actio alicui com-
 petens regulariter alteri poſteſt cedi. Niſi conſtet conſeſ-
 ſionem iſtam non realem ſed merè perſonalem eſſe. Hinc
 extra dubium ponimus, quod is, cui ad neceſſitatē & com-
 moditatem propriam vel etiam voluptatem venationis Jus
 à Principe fuit conſeſſum, idem alteri concedere nequeat:
 quod etiam de venationibus precariis aſſerimus. Unde Præ-
 feſſum quendam vel officialem Principis, qui venationem in
 loco certo tanquam ſalarium ſui appēdicem habet, hanc ejus-
 vè commoditatem alteri id cedere non poſſe *Harp. infer. ad*
ſ. fera 7. de R. D. n. 188. quam bene neſcio. Cui autem ad cer-
 tum numerum ferarum conſeſſum eſt, alii id cedere poſteſt,
 quoniam reſtrictio illa non reſpicit certam perſonam, nec
 ullam in materia & forma venandi varietatem inducit.

XXXV. Ubi ex præcedentibus quæri & illud ſolet, *num*
qui uſumfructum in alieno caſtro vel prædio habet, Jus Venandi
alteri in eodem loco concedere poſſit? Et quoniam Jus Venandi
 hoc caſu ſimul in uſufructu ponitur, ſequitur inde, uſufruc-
 tuarium non poſſe ipſum Jus alii conſtituere. *l. 61. de uſufr.*
l. 66. ff. de jur. dot. Poſſe tamen ſimplicem facultatem capi-
 endi feras permittere & pecuniam pro licentia venandi pa-
 ctō promiſſam accipere *l. 12. ſ. 2. l. 38. & ſeq. ff. de uſufr.* Cū
 enim is poſſit & jus habeat prohibendi, nequis ingrediatur:
 poterit & juſtè vendere facultatem & licentiam ingredien-
 di ad

C 3

di ad



di ad venandum *Covarruv. in c. peccatum. 2. part. relict. §. 8. n. 4.* Vasallus verò quum servitute fundi feudali imponere possit, multo magis etiam Jus Venandi alteri constituere poterit, in suum quidem præjudicium, non autem Domini, neque successorum feudali. Unde Vasallo mortuo vel feudum amittente Jus illud finitur, quia resoluta jure dantis, solvitur etiam accipientis *c. unic. §. rei lib. 2. feud. 8. Vvesenb. de feud. c. 11. n. 7.*

XXXVI. Quod si Dominus Vasallo Jus Venandi in feudum per investituram abusivam concesserit, præcisè id tradere cogitur, nec liberatur præstando interesse, *per text. 2. feud. 26. §. 5. vers. si facta. §. 1. feud. 4. pr.* Si verò in alieno plane illud Jus dederit, idque Vasallus ignorarit, tenetur de evictione juxta tenorem *text. 2. feud. 25. §. 2. feud. 8. Vult. lib. 1. de feud. c. 10. n. 11.*

XXXVII. Quod si Jus Venandi à Principe vel Domino duobus diversis temporibus in feudum uno & eodem loco concedatur: præferendum puto eum, qui priorem titulum edocere potest, sin autem posteriori possessio simul fuerit tradita, ab eodem per priorem avocari non potest. *Clarif. Rittersh. in paratit. feud. lib. 1. c. 9. quest. 14.* Ubi & rationes adducit cur vitalis traditionis præferatur alteri, qui titulum & investituram habet antiquiorem, quia videlicet pactis & contractibus, qualis est etiam investitura abusiva, non transfertur dominium, seu jus in rem, sed tantum persona obligatur. *l. 20. C. de pact. l. 3. ff. de O. & A.*

XXXVIII. Cum igitur Jus Venandi ita, ut hætenus ostensum est, suo modo in alios transferri possit, non dubito quin & in usumfructum dari queat, præsertim cum ejus rei vestigia quædam jam veteri jure exstiterint. *l. 9. §. 5. ff. de usufr. l. 62. pr. ff. eod.* Eadem ratione & pignori aut hypothecæ rectè supponitur. Ubi verò feræ à creditore fortalsè captæ, in sortem imputandæ videntur, ut alii fructus juxta *l. 1. 2. 3. §. ult. C. de pignor. act. nec refragatur l. 26. ff. de Usur.* Loquitur enim non de fundo respectu venationis hypothecæ supposito, sed de alio in genere: imò de illo id asserere videtur.

detur. Ejus enim fundi qui ratione venationis hypotheca obligatur, nullus alius fructus, aut saltem haecenus, quatenus alteri obligatus est, nullus alius fructus est, quam ipsa venatio.

XXXIX. *Causa Efficiens Venationis ratione exercitationis s. exercitii, est vel Principalis vel minus principalis. Illa sunt ipsi illi, quibus Jus Venandi competit, ut Principes, & Magnates, quibus omnium maximè convenit venatio, cum hæc rei militaris comes sit, & strepitus iste armorum meditatio. Ubi manè surgere, currere, equitare, ferocissimas bestias prosternere, & nec sudoris vel algoris tædio, nec famis sitisque molestiâ defatigari oportet, ita ut exercitium venandi palæstra quædam sit militiæ præparandæ. Hanc constituunt potissimum illi, qui sustentationis gratiâ id vitæ genus agunt, ipsi quoque venatores vocantur nomine cum prioribus illis eodem, re ipsa nimium quantum dispares, num illi & principaliter & recreationis, valetudinis atque fortitudinis causa per tradita venationem exercent. Hi ministerialiter demum & ex concessione suorum Principum hęc artificia se sustentent, neque alium victus & amictus quæstum norint.*

XL. *Occurrit hęc quæstio, an Clericis, quibus piscari & accipari licet, liceat quoque Venari? Quod secundum Jus Canonicum planè negatur, ita ut ne feras canibus vel aves falconibus & accipitribus capere possint c. 2. extr. de Cler. venat. VVes. d. l. ex ea potissimum differentiarum ratione, quod piscatio minus sit cruenta, minus tumultuosa, quam Venatio. Hinc in Codice sacrarum literarum non invenitur aliquis venator; piscatores verò multi. c. 1. dist. 34. c. Esau. 11. dist. 86. Limitant quidem hoc Dd. distinguendo inter Venationem clamorosa & quietam ut hæc Clericis sit permessa, illa verò non item Bach. in VVes. ubi & addit, licere iis quoque venationem clamorosa exercere, si saltus habeant proprios, ita tamen, ut non ipsi sed per venatores Laicos id faciant. Insuper concedenda videretur, si necessitatis causa vel valetudinis adjuvandæ gratiâ rariuscule instituantur, dum*



dummodo id fiat cum "modestia", & absque consumptione bonorum Ecclesiasticorum, quod accidit si canes alantur de redditibus Ecclesiae, & in domibus clericorum detineantur. *arg. c. 1. de Cler. venat. & c. dilectus extr. de homicid.* Hodie in nostra Germania Principes omnes Ecclesiastici & Praelati, maxime si sint status Imperii, simul habent Jurisdictionem & Jus forestale seu bannum sylvestre, uti vocant. *Weltliche Obrigkeit/ Jagt und Wildbahn. Georg. Mor. d. p. 1. c. 8. n. 46.*

XLI. Causam Efficientem venationis ratione conservationis constituunt remedia, quibus in jure illo tuendo uti licet, quorum plura ex Jure enumerari possent: praecipua autem sunt utile interdictum uti possidetis. *arg. l. 8. §. 5. ff. si servit. vind. l. 1. §. final. ff. de aq. & aq. plu. arcend.* & Actiones confessoria & negatoria utiles. *arg. l. 2. §. 1. 10. §. fin. si servit. vind. §. equè 7. de act. Georg. Mor. d. tract. p. 2. c. 5. n. 9.* Dantur autem ei, qui in constituta venandi facultate turbatur, aut eam uti prohibetur, adversus turbantem vel prohibentem, ut a turbatione desistat, sufficienti, praestita cautione de non amplius turbando refusus insuper expensis atque damnis ex turbatione illatis. *l. 7. ff. 51. servitut. vind. l. 12. cod.* Num vero lucrum quoque cessans venationis, piscationis vel aucupii peti potest? ita statuo, imprimis si venatio vel piscatio fuerit certa vel copiosa *per l. 21. in fin. ad l. Aquil.* Certa autem intelligitur esse tunc, cum is, ad quem pertinet Jus venandi aut piscandi certum habet lucrum ex pacto, quod cum altero pepigerit; Sin venatio nec certa ita fuerit, nec etiam feris referta, ut ita lucrum seu captura plane dubia fortunam pependit, negativè videtur respondendum. *per text. in l. quemadmodum §. 3. ff. ad leg. acquil. Sed an qui venatorem vel piscatorem victum ex venatione quarentem laeserit vel occiderit, tenetur ad estimationem operarum venatoris laesi vel occisi? Ajo cum Covar. in c. peccatum p. 2. §. 8. n. 12. de R. 7. in 6. per l. 3. ff. si quadr. paup. fecis. dic.*

XLII. Quoniam vero omnes actiones sunt inanes, nisi indubitata probationis fide apud judicem competentem liqueat vera esse, quae in iudicium deducuntur, ut loquitur

Cujac.

184

Cujac. in parat. C. de probat. § fac. l. 30. ff. de testament. tur. l. 1. l. 5. in pr. l. 21. l. 22. § passim de probat. Sciendum est Jus venandi non tantum investiturarum literis aliisve instrumentis probari, sed vivis etiam testibus, maxime senioribus, iisque vel de singularibus actibus possessorii attestantibus. *t. t. ff. § C. de fid. instrum. § tit. de test. Mynsing. cent. 2. obser. 20. Gail. 2. obser. 66. n. 4. 10. § seqq.*

XLIII. Et si quidem uterque litigantium se qs. possidere contendat, & actus possessorios deducat, sententia indubio pro eo est ferenda, qui antiquiorem possessionem accuratius probaverit, hac enim probata, subsequens altera praesumitur esse vitiosa. *c. ult. de rest. spoliat. c. 9. de probat. Covar. in c. possessor. p. 2. §. 1. n. 1. § 3. cum seq. de R. 7. in 6.* Alias is obtinere debet, qui meliorem & justiore probaverit, quod fit vel per ostensionem tituli, vel per testes firmiores, digniores, honestiores, aut etiam numerosiores, cum videlicet testes & personarum qualitate & testimoniorum fide sunt pares. *Georg. Mor. p. 2. c. 6. Myns. cent. 4. obs. 38.* Si ne hoc quidem modo pateat, utrius causa praevaleat, quia uterque simul suamque intentionem per omnia aequaliter probavit, extremum erit, ut Judex possessionem inter eos dividat. *arg. l. 80. de legat. 3. Mor. d. c. 6. n. 15.* aut si hoc cum aliquo conjunctum videatur periculo, plane sequestrationi eam committat. *Gail. 1. obs. 5.* Si denique neuter quid de possessione probaverit juris venandi, nec appareat uter possideat, officio judicis incumbit utrique parti praecipere, ut a venationibus in sylvis & locis controversis abstineant, vel etiam possessionem illam apud sequestrum deponant, donec de causa in petitorio judicio liqueat. *Ord. Cam. Imp. part. 2. tit. 21. §. 1. § 9. Wo auch zwischen. Gail. 1. obser. 5. Covar. pract. quest. c. 17. n. 1. Myns. cent. 2. obs. 96.*

XLIV. Quandoquidem vero non raro accidit ut Princeps, Comes vel alius in quasi possessione juris venandi turbatus, pignorationibus & repressaliis sese defendant, quando nimirum alterius venatores vel subditos, canes, retia & id genus alia instrumenta capiunt & auferunt. Incidenter

D

hic

hic observandum est, quod regulariter repressalix omni jure fuerint prohibita. *arg. c. unic. de injur. & damn. in 6. l. 74. de R. 7.*

XLV. Objectum Venationis & Materia circa quam sunt omnia animantia, quæ propter liberam & naturam insitam vagandi facultatem in nullius sunt dominio; Et dicuntur hæc vel Crudelia, ut Ursi, Leones, Lupi &c.; Vel Mitiora, ut lepores, damæ, cervi, &c. Crudelium quidem apprehensio extra dubium omnibus est licita, adeo qui ea occidit, publice prodest. *l. unic. C. de venat. ferar. Ves. parat. ff. de A. R. D. n. 7.* nisi consuetudine aut alio jure speciali secus obtineat. Hinc in quibusdam locis statutum introductum est, ut capienti lupum detur præmium & quidem si quis lupam lactantem cum catulis capiat & occidat, duplum debeatur, minus tamen si lupam prænantem. *Georg. Mor. p. 1. c. 8. n. 21.* At verò tunc demum omnia ista animalia jure competunt hominibus, si in suam potestatem ea redegerint. Rediguntur autem in potestatem secundum Imperatorem, si Venator ense vel venabulo ea vulnerata aut globulo trajecta reapse apprehendat & occupet, aut saltem ita prostraverit, ut evadere amplius non possint. Sin minus, tertio cedunt occupanti, quia multa accidere solent, ut ea etiam faucia non capias. *§. 13. ibiq. Dd. I. de R. D. l. 5. §. 1. de A. R. D. l. 55. vers. summam tamen ff. eod.*

XLVI. Contrarium tamen Trebatius JC. voluit, quod sc. vulnerata bestia statim sit Venatoris, donec eam persequatur: quam si persequi desinat, desinat & illius esse, & rursus fiat occupantis. *d. l. 5. ff. de A. R. D. & §. 13. 7. eod.* Cujus sententia licet olim rejecta, minusque fuerit approbata, hodie tamen inter Venatores valet & persecutio in forestum alienum læsi animantis germ. die Nachfolg. pro injuria forestali non habetur, sed licet feram illam vulneratam, sanguinolentam, vel etiam aliam, quam canibus nostris semel infectati simus, fugientem extra proprium saltum usque ad occasum solis persequi & capere, de quo est textus Juris Sax. *in art. 61. t. 2. Jagt ein man ein Wild auffer dem Forst/und folgen ihm*

ihm die Hunde in den andern Forst/ er mag wohl nachfolgen/ also daß er nicht blase noch die Hunde nachheze / und mißthut daran nicht ob er das Wild fahet / seinen Hunden mag er wohl wieder ruffen. Quod quidem non procedit in eo loco, ubi omnibus libera venandi potestas concessa est, als in der freyen Pürsch. tali enim loco qui feram investigare cœpit, in vicinam sylvam persequi, ibidemq; impunè capere non potest, Harp. ad §. feræ n. 270. Nisi forte statutò & consuetudine aliud receptum sit.

XLVII. *An autem fera bestia in laqueum vel foveam aliquis incidens à praterente enodari & auferri possit*, non incongrue controverti potest: Et ex dispositione Juris Civilis laqueum ponens non statim feræ, quæ in eum incidit, dominium acquirit. per l. 55. de acquir. rer. dom. ex ea præprimis causa, quia naturalis possessio nondum accessit, quæ maxime tamen necessaria. l. 1. §. 1. l. 3. §. 3. ff. de acquir. vel amitt. pos. Unde & in auferentem vel dissolventem actio furti dari nequit: quia furtum non fit, nisi fit, cui fiat. l. 43. §. 5. ff. de furt. Variè in casu, quo quis irreti tam feram solverit, distinguit. l. 55. ff. de acquir. rer. dom. An nempe laqueus positus fuerit in loco publico vel privato & hoc vel proprio vel alieno. An porrò hòc casu cum permisso domini vel sine ipsius permisso. Sed hætenus nihil videtur decidi: compendium autem fieri in hunc modum, quod neglectis istis distinctionibus, si ita illaqueata fuerit fera. ut evadere non possit, pro capta habeatur atque inde in factum actioni locus sit adversus eum, qui ipsam solverit ac dimiserit: sin ita tantum irretita sit, ut ipsa elabi possit, capta non intelligatur; proinde nec locum habeat in factum actio adversus solventem. sub eadem distinctione locum etiam concedimus actioni furti, si alius quispiam feram istam abstulerit.

XLVIII. Consequens igitur ex his est, quod præter animalia fera mansueta vel mansuefacta aut cicurata venari nemini liceat; adeò, ut, qui hujus generis animam lucrandi animò & invitò dominò occupet, furti conveniri queat. l. 8. §. 1. fam. erisc. l. 37. ff. de furt. & §. 16. §. de R. D.

XLIX. Sunt autē hōc locō 1. ea animalia, quæ naturaliter sunt mansueta, ut anseres, gallinæ & alia pecora; quæ sanè nulli conceduntur; imò si per turbationem aliquam conspectum nostrum effugerint, quocunq̄ue locorum pervenerint, etiamsi videantur animum deseruisse revertendi, permanent nihilominus in dominio nostro, & qui ea lucrandi causâ detinet & includit, furti se obligat. *l. 5. §. 6. ff. de A. R. D.* Hinc si milvus pullum ex cohorte nostrâ ablatum in cœlum sustulisset; Vel Vulpes rustico cuidam anserem oppressisset, clamore verò venatoris vel cujusvis alijs territus illum iterum dimisisset, non pertineret ille ad Venatorem, qui vulpem prædâ exiit, sed permaneret domini prioris, nempe rustici, cujus fuit antea. Quod & æquè intelligendum de lupo, qui ovem rapuit, in fuga autem à pastore & ejus canibus cogitur, ut spoliū relinquat, ubi sicut priori casu manet pristini Domini *l. 44. ff. de A. R. D.*

L. II. Species animalium mansuetorum sunt, quæ naturaliter quidem fera, accidentaliter tamen, industriâ videlicet & diligentia hominum sunt mansueta reddita, ut pavones, columbæ, cervi mansueti & cætera animalia quæ in vivariis, leporariis, columbariis vel aviariis servantur & abire & redire solent. Hæc tamdiu nostra sunt, quamdiu retinent animum revertendi, quem si deposuerint, desinunt esse nostra, & sunt denuo occupantium. *§. 15. §. l. 5. ff. de A. R. D.* Hinc inveniens falconem cum sonaleis in pedibus, tenetur illum restituere domino priori, quia animum redeundi nondum reliquisse putatur. *Mor. d. c. 8. n. 19.* Dignoscitur autem animus revertendi ex facto & consuetudine redeuntis animantis. *d. §. 15. §. cum l. 5. ff. d. t.* Desuetudo ergo illa revertendi ab alicujus insidiis facta, ut si vicinus columbis inescationes quasdam pararet & sic caperet eas, jure non est valida, eoq̄ue casu furtum committi dicitur. *l. 8. §. 1. fam. exercisc. Schneidvv. ad §. pavonum. n. 3.*

LI. Dubium est quoad ea animalia, quæ in sylvis circumseptis vagantur. Verum respondet *Paulus* in *l. 3. §. 14. de acquir. vel amitt. poss.* Ea nec nostra esse, nec à nobis possideri,

1815

deri, quia adhuc fruuntur libertate naturali: ideo nihil im-
pedit, quò minus primi occupantis fiant. *per l. 3. de A. R. D.*
Gail. 2. obs. 68. n. 10. Aliter autem obtinet in iis animanti-
bus, quæ prius à Venatore captæ & deinde custodiæ causa
vivariis & leporariis vulgo, im Hagen und Wildgarten/inclu-
duntur. Hæc injustè quis occupat, quia uti ejusmodi loca
privata possessione tenemus, ita consequenter & feras iis in-
clusas tanquam proprias & privatas. *d. l. 3. §. 14. ff. de acquir.*
vel amitt. poss. l. 62. §. 1. ff. de usufr. Cujac. 4. obs. 2. Et quam-
vis animalia hæc ex locis istis aliquando excurrant nondum
tamen ea capere licet, & qui ea capit furtum committit. *l. 8.*
§. 1. fam. ercisc. Si vero ita evaserint, ut amplius animum
revertendi non habeant, naturali restituta libertati, rursus-
que communita censentur. *d. l. 3. §. fin. de A. R. D.*

LII. Locus, ubi Venatores fera animalia persequuntur
sunt saltus, Sylvæ, Nemora & alia loca tam publica quam
privata, circa quæ benè notanda, quæ de jure antiquo & no-
viori sancitæ sunt.

LIII. De jure antiquo cuilibet licitum est non solum
in fundo proprio, sed etiam in alieno venari feras & aucu-
pari volucres. *§. fera l. 3. ff. de A. R. D.* Limitatur hoc, ne
tamen quis ingrediatur fundum dominò invitò. Hinc is ab
ingressu, si prævideat, feram insectantem prohibere potest.
l. 16. ff. de servit. rust. præd. d. §. fera. 12. l. de R. D. cum l. 3. de
ff. de A. R. D. Non enim rationabile est, rescripsit Divus
Pius, ut per aliena prædia invitis dominis aucupium facia-
tis, *d. l. 16. ff. de S. P. R.* Et qui invitò sic vicinò in agrum ejus
se conjicit, vim facere intelligitur. *l. 11. C. de servit. & aq. & te-*
netur injuriarum, obligaturque ad damni per ingressum
compensationem l. 1. ff. & C. ad l. Aquil.

LIV. Imò & armatâ manu Dominus ingredientem
prohibere, eiq; si nolit exire, resistere, & propriâ authori-
tate eum expellere potest. *gloss. in d. l. 3. in verbis prohiberi ff.*
de A. R. D. Cujac. 4. obs. 2. l. 50. ff. de A. R. D. Eundem tamen
capere, & donec feras captas restituat aut satisfaciat, de-
tinere non potest. *gloss. in d. l. Schn. ad §. 12. n. 7.* Siquidem

nihil magis quam ab ingressu prohibere potest directò, non ab apprehensione vel captione ferarum. *d. l. 3. §. 1. de A.R.D. l. 5. §. 3. eod.* Unde qui cepit nec cogitur eas Domino fundi restituere. Ubi enim nihil fuit ablatum, ibi & nihil potest restitui. feræ autem quamdiu sunt in libertate naturali, nullius æstimantur, & dominus exinde suas vocare vel in fructibus fundi reputare nequit. *l. 3. §. 14. ff. de acquir. vel amit. poss. Magn. Dn. Ungepaup. in Exercit. 5. quæst. 5. in Ajo.*

LV. Sed quid si Dominus Venatorem ante prohibitionem jam ingressum detineat, aut expellat, aut rem captam auferat? Nos violentiam illum minimè exercere, sed definitam à legibus actionem intentare posse dicimus cum *Sebast. Med. p. 1. quæst. 25. & 26.* Venatori itaque illo casu injuriarum actionem damus *ex l. 25. ff. de act. empt. l. 13. §. fin. de injur. vel actionem ad exhibendum. d. l. 25. de act. empt. l. 9. ff. ad exhibendum. Gottf. ad l. 15. eod.*

LVI. Jure Novo non tantum libertas venandi ita limitata est, sed ut hætenus sæpius monitum subditis planè adempta. Idque jam Jure Feudali obtinet, quippe quo cavetur, ne quis retia vel laqueos vel qualibet alia instrumenta ad capiendas feras, exceptis crudelibus istis, tendat. *§. 4. vers. nemo retia de pace tenenda. & ejus violat. 2. feud. 27.* Et Juri- bus Saxonis simile inductum est, imprimis quoad loca aliena *Das keiner uff des andern Grund und Boden jagen und hehen soll bey Straff hundert Gilden. Const. Elect. tit. von Jagten.* Et ita pronunciat *gloss. Jur. Sax. Weichbild art. 121.* Wiewohl das wilde Thier gemein ist / so mag doch ein iedlicher Mann mit seinen Umbfassen willkörn / daß niemand uff eines andern Grund jage und ob man es auch gleich nicht willkôret / so mag man doch einen wohl wehren mit Recht / daß er nicht in eines andern Mannes Eigenthumb gehe und darinnen jage und Weidwerck treibe.

LVII. Ad Formam Venationis pertinent, quod alia vocatur tacita; quæ cum quiete; veluti laqueis, foveis, aliisque insidiis, perficitur; Alia Clamosa quæ canibus & cornu. Ubi verò notandum quod ille modus, qui laqueis, foveis & aliis similibus insidiis constat, ita demum locum ha-

beat

1817

beat, si exerceatur non itineribus vel viis publicis sed in de-
sertis locis vel propriis l. 28. ff. ad leg. Aquil. fac. l. 1. §. 1. & 2. ff.
de his qui effud. vel deiecit. Et quod si secus fiat, tenetur au-
ctor damni eâ occasione dati ex l. Aquil. ad resarciendum il-
lud damnum pecoribus vel etiam hominibus inde datum.
d. l. 28. & 29. cum similibus. ff. ad l. Aquil. Georg. Mor. tract. de
jur. venand. p. 1. c. 5. n. 22. Quocirca illud in controversiam
vocatur, an fera bestia hominem impetens contra superiorum
prohibitionem impunè queat occidi? Quod affirmamus arg. l.
unic. C. de venat. fer. d. c. unic. §. si quis vers. nemo retia de pã-
ce tenenda. 2. feud. 27. Secus si bonis subditorum damnum in-
ferant: quò casu abigere feras non autem occidere pote-
runt. Quid autem furis, si in venationibus quis fortuito præ-
ter intentionem trucidetur? R. si quis id fecerit locò & modò li-
citò, commiseratione potius, quàm pœnâ, est dignus; sin mi-
nus, proratione culpæ arbitriò Judicis puniri debet, non ta-
men ordinaria. l. Cornel. pœnâ, quoniam in hac dolosus occi-
dendi animus requiritur. l. 1. §. 3. ad leg. Cornel. de sic. l. 7. ff. eod.
Unde si dolus edoceri queat (quod sæpè contingere potest,
ut ob veteres similitates alter alteri hâc occasione insidietur,
cædemque ac internecionem clam intendat) meritò hujus
legis pœna vindicari debet. Georg. Mor. p. 2. c. 11.

LVIII. Ad formam porrò referri potest hoc, quod ve-
nationum exercendorum ratio ita haberi debeat, ut absque
cujusdam privati incommodo vel detrimento fiant arg. l. 6.
C. de metall. l. 2. §. meritò cum seqq. Ne quid in loco publ. VVes.
π. ff. de A. R. D. n. 7. Gail. 2. obs. 68. n. 11. per l. 43. de vulg. & pu-
pill. subst. Hinc Principes qui venationes tam in publicis
quàm privatis subditorum locis habent, operam navare de-
bent, ne mesibus & segetibus vel aliis rebus venando da-
mna inferant, neve feræ in privatorum agros gregatim ex-
currant, & fata magno pauperum dolore depascantur. Aliàs
enim secundum Dd. ad damnum per ferarum multitudi-
nem & grassaturam in mesibus, segetibus ac fructibus illa-
tum resarciendum tenentur Clarif. Ludov. disp. 4. th. 5. lit. C.
Concedere quoque gratiosè debent ut subditi feras ex agris,
stau-

stantibus & pendentibus fructibus abigant vel latrantes molossos ad eas expellendas habeant, vel etiã agros sepibus muniant, quod & æquitatis & publicæ utilitatis est, ne fata & frumenta ad sustentationem hominis comparata, §. 38. l. de R. D. l. 28. *in fin. de Usur.* à feris devastentur. Caveant tamen subditi ne gratiosâ illâ concessione abutantur & agros suos nimis acutis lignis vel palis circumsepiant: Sic enim suos Principes certò respectu jure venandi defraudare censentur *Harp. ad §. fere, 116. & seqq.* Quod verò in fraudem juris alieni agitur, jure est prohibitum. l. 8. §. 20. ff. de transact. l. 1. §. 11. C. de lat. libert. toll.

LIX. Id verò quod dictum est, venationes exercendas esse sine injuria subditorum, eò trahendum non est, ac si Princeps aliquis vel simili jure pollens subditos cogere non possit ad operas in venationibus exhibendas, veluti plaustra trahenda, equos portandis & vehendis retibus præstandos, & multa alia servitia ad venationem pertinentia facienda. *arg. l. 11. C. de SS. Eccles. l. 2. C. de curs. publ. c. unic. & que sint reg. 2. feud. 56.* Modò tamen æquitatis ratio habeatur, modusque servetur. *arg. l. ult. C. quemad. civil. mun. indic.* Minoribus vero dominis potestas illa operas subditis indicendi non statim æquè competit, nisi forsitan vel speciali superioris concessione, vel longâ consuetudine, vel præscriptione illam acquisierint; Ut enim in aliis sic & hac in causa antiqua debet consuetudo attendi.

LX. Occurrit hîc quæstio, *an Subditi & rustici operas illas impensis propriis præstare debeant, vel verò Domini venationis?* Disting: Aut debent hoc subditi ex obligationis necessitate, aut faciunt saltem spontè & animi promptitudinisque suæ declarandæ causa. Priori casu concludunt Dd. *ex l. 18. de oper. lib. 1. 7. C. de curs. publ.* quod propriis impensis omnino & absque Domini detrimento operas istas præstare debeant. Posteriori vero postulat æquitatis ratio ut ipsis cibus ac potus à Domino exhibeatur l. 18. §. 2. ff. commod. Aliud item esset, si diversum regionis consuetudine esset introductum, vel etiam expressè conventum *arg. l. 5. C. de Agric.*

1819. 21
gri. & Cens. Aliud denique, si subditi operam in venatione præstantes tam sint pauperes, ut non habeant unde se suosque alant interim, *d. l. 18. ff. de Oper. liber. Harpp. d. §. 12. num. 243.*

LXI. Præterea ad eandem classem pertinere videtur, ne venatio fiat ab iis, qui longè aliud domi, quod agant, habent, præprimis eò tempore, quò vel necessaria Ecclesiæ vel Reipublicæ munera sunt obeunda & pertractanda, aliàs vitiò vel etiam scelere non caret venatio. In omnibus enim rebus modus est observandus honestus, ne videlicet quid nimis fiat. *Obrecht. disp. de venat. 24. th. 43. cum seqq.*

LXII. Finis Venationis primarius est acquisitio ferarum, ut eas potestati & usui nostro ad victum & vestitum subjiciamus *arg. d. §. fera. 12. §. de R. D. l. 1. l. 3. ff. de A. R. D.* At secundarius est, ut venationis exercitiò animum quasi relaxemus *Vves. ad π. ff. ad d. t.* Est enim venatio nobile exercitium Principibus & Nobilibus apprimè dignum, magnam jucunditatem afferens, fortitudinis etiam exhibens speciem, perseverantiamque corporum paulatim pariens, ignaviam excutiens.

LXIII. Effectus præcipuus est, quod feræ captæ fiant occupantium, in quorum Dominio tamdiu manent, donec ipsorum custodiam evaserint, naturalemque libertatem receperint: quod tum fieri intelligitur, cum vel oculos Dominorum planè effugerunt, vel in conspectu eorum ita versantur, ut omnis earum vel persequendarum, vel capiendarum spes adempta videatur *d. §. 12. §. l. 5. de A. R. D.*

LXIV. Ad Effectum Venationis s. potius Juris venandi pertinet etiam, quod fructus sylvæ venatoriae spectant ad Dominum, cui competit Jus venandi in illa sylvæ, quantum scilicet ad alimenta ferarum sufficit. In dubio autem omnes fructus sylvestres pro nutrimento ferarum habendi videntur. Eadem penè ratione, venatione concessâ, reliqua quoque omnia, sine quibus esse non potest, data & concessa intelliguntur, *l. 3. §. qui habet. l. 5. ff. de serv. præd. rust. l. 1. §. 1. si usufr. pet. l. 34. ff. de re judic. Gail. l. 2. obs. 68. n. 4.* Secus autem

E

G

si contraria pactio vel conventio specialis intervenerit, cui omnino est standum, eò quòd pacta dent legem contractui l. 23. l. 34. ff. de R. 7.

LXV. Item pertinent huc poenæ quibus Domini ac Principes, qui Jus venandi justò sibi titulò acquisiverunt, in venantes contra prohibitionem suam animadvertere solent. *Qualis poena autè hujusmodi transgressoribus imponenda sit spinosè à Dd. controversitur. Schneid. ad §. fera. n. 10.* pro pecuniaria aliave arbitraria pugnat, amissionem vero capitis constanter negat, cujus opinionem & secutus est *Clar. Ludw. in d. Disp. 4. th. 5. Wes. w. ff. de A. R. D.* Alii capitalem statuunt, ita, ut delinquentes contra prohibitionem magistratùs instar furum, laqueo, vel alià furti poenà puniendi sint. Alii hoc limitant distingv. An fortuitò & ignorantia vel ex proposito & in contemptum magistratùs: Item an semel tantum, vel iteratò delictum commissum sit, quod hæ & similes circumstantiæ minuunt vel augeant factum. Nos existimamus omninò præmittendam esse distinctionem illam inter capturam dolò & sine dolo, ignorantia, aut fortuitò factam. Hæc enim cum verum delictum constituere nequeat. *arg. l. 7. ff. ad l. Cornel. de sic. pr. 7. de oblig. quæ qs. ex delict. nasc. l. 5. §. 4. ff. de O. & A.* Nec tam atrocem poenam mereri potest. Delictis enim poenæ proportionandæ sunt. *l. 11. ff. de poen.* & manifestò facit argumento, quod ne hominis quidem sine dolo occisi capitalis poena est. *d. l. 7. ff. ad l. Cornel. de sic. imò sæpè nulla §. 2. & 3. 7. ad l. Acquil. l. 4. pr. l. 45. §. 4. ff. eod.* aut saltem pecuniaria. *§. 1. 7. de oblig. quæ qs. ex delict. nasc. l. 1. §. 5. ff. de his qui effud. l. 42. ff. de Edict. l. 1. Edict.* quantum vero ad captionem feræ dolo factam, subdistingvendum videtur inter Jus strictum & benignum. Strictò jure videtur defendi posse, quod capitalis poena delicto isti imponi queat, imprimis eò casu, quò prohibitio sub poena capitis jam facta fuerit. Militant præter alia, quæ levioris momenti à Dd. in hanc sententiam passim afferuntur, I. quod jam olim, cum juris communis adhuc esset venatio, injuriarum agere liceret adversus eum, qui ingrederetur fundum

1821

dum contra prohibitionem domini per l. 13. in fin. de injur.
Posteaquam igitur ea communis juris esse desiit colla-
ta in solos principes & similes, vel eos, qui ab ipsis causam
habent per supra tradita, non possunt illi minus juris hac in
parte habere, quam olim promiscuè quilibet vi istius com-
munionis naturalis, cum nō solum in eorum locū quoad fa-
cultatem venandi & ab ingressu prohibendi successerint, sed
etiam jure non communionis naturalis sed alicujus propri-
etatis ipsum venandi jus teneant. Jam constat, quod inju-
riarum agi possit etiam criminaliter. §. 10. §. de injur. & ex-
tra ordinem l. ult. ff. eod. i. e. non pecuniariter per l. ult. ff. de
priv. delict. & porrò pœnam extraordinariam ad mortem
extendi posse haud obscure probatur ex l. 13. ff. de pœn. l. 15.
ff. de condict. causa dat. junct. l. ult. ff. de furt. II. quod deli-
cta augeantur ratione circumstantiarum l. 16. ff. de pœn. per
tot. & imprimis etiam ex parte tum subjecti, ejus, adversus
quem committuntur d. l. 16. §. 6. tum objecti, sive ejus, in quo
committuntur. Subjectū autem illud est Princeps & simili ju-
re nitens. Objectum vero (saltem internum) est ipsum jus
venandi, quod hodie probabilius inter regalia refertur
per supra tradita, thesi 17. quo ipso simul occurri posset dis-
sentientium objectioni, nullam esse proportionem inter
vitam hominis & bestię. Fera n. utur objecti rationem habe-
at; tamen re penitiùs visā externum demum constituit: In-
ternum est ipsum jus venandi, licet & aliā ratione respon-
deri queat; sc. gravitatem delictorum secundum modò tra-
dita h. th. pendere non tantum ex parte objecti, sed etiam
subjecti & aliarum circumstantiarum. Hinc verò apparet
tantò gravius hoc esse delictum, quò major sit ille, qui lædi-
tur, graviorque causa, in qua delinquitur. Inde & gravior
potest esse pœna per l. 11. pr. ff. de pœn. III. Si pœna Capitalis
jam publicè edicta fuerit, etiamsi durior esset in sese, tamen
non videtur iniqua esse ex parte delinquentis. Major enim
ejus videtur malitia, quippe quæ nec tantæ pœnæ metu con-
stringi potuit, suoque in facinus consensu delinquens iste
obligatur. Ita causa summò jure agi posset. Cum tamen in

pœnalibus mitius agendum fit, & molliendæ potius pœnæ,
quam exasperandæ *l. 42. ff. de pœn. fac. l. 5. ff. eod.* Satius
est hac in parte stare benigno & mitiorem huic delicto di-
ctare pœnam, nisi fortassis vel delicti frequentia vel alia ra-
tio rigorem omninò exigant.

LXVI. His ita breviter expositis restat ut videamus
contraria: ad quæ referuntur modi, quibus jus venandi a-
mittitur. Fit autem illud tum expressa renunciatione & re-
missione Domini, *arg. l. 14. §. Si venditor. ff. de Edil. Edict. l.*
14. §. 1. de servit. Tum existente conditione, vel resolutio
Jure concedentis per *l. 11. §. f. quib. mod. serv. am.* Item rei
interitu, ut si locus, in quo Jus venandi constitutum habeo,
vi fluminis fuerit occupatus. Quo casu verò cessante inun-
datione restituitur in pristinum statum *l. 14. in princ. ff. d. r.*
Schneid. ad §. ult. §. de servit. n. 24. Porro non utendo, scil.
per negligentiam; vel utendo cum iniquitate & asperitate
in subditos. Ob immoderatam enim hanc asperitatem Do-
minus Vasallos suos & feudo & Jurisdictione aliisque Juri-
bus adeoque & venandi illo privare posse certum est, *Harp.*
d. r. n. 155. Denique etiam multis aliis modis, quibus reliqua
Jura amittuntur.

LXVII. Et tantum de nobilissima eaque haud facili
venationum materia. Plura nec instituti ratio deposcit,
nec ingenioli mei tenuitas suppeditat. Quod si ig. in his
nonnulla perperam sint omissa, aut non omnia satis
accuratè tradita, veniam à benevolo
lectore spero.



CON-

CONSECTARIA.

I.

Largum cruorem ex cadavere occisi, aliquo de homicidio suspecto accedente, profluentem sufficiens ad torturam indicium præbere, communiter invaluit. Quæ opinio in fontem quemque in capitis discrimen adducere posset: merito igitur reprobatur.

2.

Mulier beneficio prælationis in bonis mariti omnibus ejus creditoribus etiam hypothecam anteriorem eamque expressam habentibus ex Jure Justiniano præfertur.

3.

Fidejussor, si ad certum tempus, puta annum vel biennium, se obligaverit, debitor verò terminum absque ejus novo consensu cum suo creditore prorogaverit, liberatur. Aliter autem sentiendum cum simpliciter se obligaverit.

4.

Pœna Strangulationis, quâ hodie fures afficiuntur, Jure defendi potest.

5.

Quando dicitur de Principibus, quòd tantum possint in suis territoriis, quantum Imperator in Imperio

E 3 intell.



intelligendum id est de iis, quæ veniunt ordinariâ Jurisdictione & superioritate territoriali concessa, non verò quæ veniunt absoluta majestate.

6.

Inferior aliquis status Imperii si modò habet merum Imperium, saluum conductum quoque concedere potest.

7.

Magistratus à vera religione recedens, manet nihilominus legitimus, quia Evangelium & religio non constituunt magistratum, & Christus non abolevit Politias, quamvis ad pietatem directæ non fuerint.

8.

Imperium nostrum licet ab Urbe Roma in Germaniam sit translatum, nihilominus tamen titulum Romani Imperii Jure sibi vindicat. Hoc enim non certâ Urbe circumscribitur, sed in universo Orbe Romano consistit, *arg. l. 6. §. Grammatici ff. de Excus. tut.*

SEMPER DEO CHRISTO LAVS.

FINIS.

••••• (o) •••••

Venandi dum jura probas Müllere cathedrâ,
Venandi studium nobile Jura probas.
Perge bonis avibus, sectans per inhospita tesqua
Prædam, dum casses incidat illa tuos.

Ita animatus gratulatur

PRÆSES.

AMpli nunc geni laudabile, Müller, amicis
Confer opus, jure & qua capienda, doce.
Otia nempè dabis nocti perrara, quid inde
Bartolus & Baldus perdocuere, tenes.
Quare de Sancto Tibi grator, Amice, labore!
Sit Tibi, sit Patriæ fructus inde, precor.

Ita

PerEximio Dn. Müllero, Jurium Cultori per-
quàm strenuò disputationis quàm doctè
conscriptæ Autori & defensori, Fautori
& Amico suo longè carissimo, currente
calamo ex animo gratulari abiens vo-
luit debuitvè

Jacobus Jodocus Raab, Med. D.

Ant

seinen Trew-werthen H. Müllern / als er von der hohen
Jagt eine kluge Schrifft verfertiget /
Der Themis ihren Forst durchforschest du mit Fleiß /
Und jagest draus herfür der besten Jagten Preis.
Drumb wünsch ich / Werther / Dir, daß deinen klugen Sinnen
Sich nichts verbergen mög was laufft und fleugt darinnen:
Und wenn dir alles kund / muß Hund- und Meides-Zan
Solch Wildbrät / deine Ehr / nicht weiter fallen an /
Es muß dir stetig seyn stat reich- und hoher Gaben /
Und muß vor deinen-Schweiß dich zur Genüge laben.

schrieb diesen schuldigen Glückwunsch

M. Paul Keinel von Seelb.

So



Edists/wer sich nur stets allein mit klugen Sinnen
 Der Weisheit hohes Schloß bemühet zu gewinnen
 Herr Müller/werther Freund; Drumb dem vor sol-
 chen Fleiß
 Einst Fama geben wird/ der Ehren höchsten Preis.
 Dieß wengte übersetzet seinen werthen Freund
 und Schwagern glückwünschend
 Alexander Schwalb.

Quæ tanta Te Deorum,
 Quæ tanta Te Dearum
 Faventia osculatur;
 Nativitate præstans
 Molitor profapiâque
 Sub disputatione
 Inquiris veritatem;
 Virtutis incitatus
 Stimulo. Parabit ecce!
 Turbæ Parens novenæ,
 Pulcherrimam coronam.
 Quod auguror futurum
 Brevi hoc anacreonte.

Gratulabundus

adcinebat

Georgius Christophorus Althoferus,
 Altdorffinus Noricus.





ULB Halle
004 573 668

3





f

sb.

VDA7







B.I.G.

Farbkarte #13

46. 1787 15
DOCUMENTUM ACADEMICUM
De
**JURE OCCUPA-
TIONUM,** 1656, 13

Sub quo imprimis Nobilis illa, controversa, & dif-
ficilis Materia de Jure VENANDI latius discutitur,

QUOD
SS. ET PROPITIÆ TRIADIS ADMINICULANTE GRATIA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

Illustrissimo & Celsissimo Principe ac Domino,

DN. BERNHARDO SENIORE,
Duce Saxoniae, Juliae, Cliviae, ac Montium, Landgravio

Thuringiae, Marchione Misniae, Comite de Marca & Ra-
venspurg, Dynasta in Ravenstein:

SCITUET AUTORITATE

*Magnifici & Nobilissimi in Florentissima Salana JCro-
rum Ordinis suffragane:*

PRÆSIDE

Amplissimo, Consultissimo atq; Excellentissimo

**DN. JOHANNES CHRISTOPHO-
RO WEXIO, J. V. D. & Prof. Publ. Extraordinario,**

Patrono, Fautore ac Præceptore suo æterno animi
cultu devenerando,

Publicæ LL. Cultorum disquisitioni exponit

**MARTINUS CASPARUS MULLER, CULMBA-
CHO FRANCUS, AUTOR ET RESPONDENS,**

In Auditorio Jctorum ad d. Novembris

H. L. Q. C.

JENÆ, Typis JOHANNIS NISII, clæ 10 e LVI.

